præmissam quàm facillimè acquires. Quibus omnibus artificialibus vtcunque computatis, in tertia columna locabis artificiales numeros respondentes gradibus suprà, & minutiis à latere sinistro, suisque sinibus lævorsum in eadem linea positis. Similiter & in quinta columna locabis numeros artificiales respondentes gradibus infrà, & minutiis à latere dextro, suisque sinibus dextrorsum in eadem linea positis. Media tandem columna sic perficitur: numerum quemque artificialem dextrum, ex artificiali sinistrorsum in eadem linea posito aufer, notatâ differentiâ in eadem linea interrutrumque, donec totam mediam columnam compleueris, Hanc Tabulam nos ad singula minuta computauimus, atque eruditis (quibus plus sit otii) eius exactiorem elimationem, vt & Tabulæ sinuum emendationem relinquimus.

Epitome Tabulæ artificialis aliter condendæ.

QVI Anonnunquam artificiales per 54 inuenti, differunt ab artificialibus per 58 inuentis; vt hujus sinus 378064, numerus artificialis per illam est 32752756, per hanc verò est 32752741 arguitur quibusdam in locis Tabula sinuum vitiosa esse. Qua propter consulo eruditis (quibus forsan discipulorum & computistarum copia sit) vt Tabulam sinuum exactiorem & maioris numeri edant, vtpote cuius sinus totus sit 100000000, scilicet octo cyphrarum præter vnitatis figuram, cùm prior sinus totus septem tantum constet. Deinde vt Tabula nostra prima contineat centum numeros, progredientes in ea proportione, quæ est inter hunc nouum sinum totum, & sinum eo minorem vnitate, vtpote inter 100000000, & 99999999.

Secunda Tabula contineat etiam centum numeros, in ea proportione, qua est inter hunc nouum sinum totum, & numerum eo minorem centenario, scilicet inter 100000000, & 99999900.

Tertia Tabula quæ & radicalis dicitur, triginta quinque columnas, & centum numeros in qualibet columna continet. Centum numeri

numeri eiusdem columnæ progrediantur in ea proporcione, quæ est decem millium, ad numerum eo minorem vnitate, videlicet 10000-00000 ad 99990000. Tringinta quinque primi inter se, aut secundi, aut tertii, aut cæteri eiusdem ordinis omnium columnarum inter se progrediuntur ea proportione, quæ est 100 ad 99, aut sinus totius 100000000 ad 99000000. In his suisque artificialibus inueniendis & continuandis, obseruentur regulæ cæteræ præcedentes. Atque ex completa sic radicali Tabula, omnium sinuum inter sinum totum & sinum 45 graduum artificiales, exactissimè per 49 & 50 reperies: atque ex artificiali arcus 45 graduum duplato, habebis artificialem dimidii sinus totius per 56. Et tandem ex his iam habitis, cæteros artificiales per penultimè præcedentem exquires; quos in ordinem Tabulæ per præcedentem rèdiges, & fiet Tabula, omnium certè Mathematicarum Tabularum præstantissima & ad vsus præclarissimos parata.

Finis constructionis Tabulæ Artificialis.